



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola CCLXI. Ioannis Papae VIII. Ad Anselmvm Mediolanensem Archidiaconvm. Minatur illi excommunicationis poenam, nisi ad sui archiepiscopi obedientiam redeat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

EPISTOLA CCLXI.
 IOANNIS PAPÆ VIII.
 AD ANSELMVM MEDIOLANENSEM
 ARCHIDIACONVM.

Minatur illi excommunicationis pœnam, nisi ad sui archiepiscopi obedientiam redeat.

Anselmo archidiacono Mediolanensi.

MISSA præfulatui nostro suggestione Anspertus sanctæ Mediolanensis ecclesiæ reuerendissimus archiepiscopus, cuius minister esse videris, super te questus est, quod inter ceteras perturbationis molestias a te sibi temere illatas, & post rerum suarum damna non modica, nunc propria derelicta ecclesia, ab eius te obsequio & consortio separare, & velut schismaticus, per alienas parochias contra canonica statuta commorari præsumpseris; nec non & apud principalem potentiam properando, noxias illi præparare insidias callida persuasione decertes. Vnde his nostris apostolicis literis dilectionem tuam paterno affectu conuenimus, nihilo minus & cum omni iubemus imperio, vt de præsentis ad sinum & gremium sanctæ Mediolanensis ecclesiæ matris tuæ, quam furibundo animo reliquisti, valde deuotus redire festines, atque sub proprii pastoris regimine, vel præsentia esse omni mentis alacritate decertes, & vt pote idoneus minister, humili prorsus deuotione debitum, iuxta ordinis tui locum, reuerenter impendas obsequium, & obedientiæ famulatum: quatenus eius gratia potitus, omnipotenti Domino de officii tui assiduitate semper placere valeas. Quod si aliter contra præcipuas & non violandas sanctorum patrum institutiones, atque contra hanc nostram saluberrimam iussionem agere præsumpseris, & ad tuam ecclesiam, tuumque pastorem, sicut regula ecclesiastica docet, redire contempseris; scias te Dei omnipotentis virtute, & beati Petri apostolorum principis, nostraque auctoritate, atque canonico patrum iudicio, fore omni ecclesiastica communione priuatum: quousque, vt prædictum est, ad tuam ecclesiam redire, tuoque pastori humilitatis colla subdere omnino

Concil. Tom. 24.

Q 9

studueris, quoniam ferro necesse est vt abscindantur vulnera, quæ vt illis manum adhibueris, fomentorum non fenserint medicinam.

EPISTOLA CCLXII.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD ATTONIVM.

Excommunicat eum, nisi ecclesiæ Mediolanensi bona quæ abstulerat restituat, & ad obedientiam sui archiepiscopi cum sociis redeat.

Attonio excommunicato.

MISSA præfulatui nostro ab Ansperto sanctæ Mediolanensis ecclesiæ archiepiscopo relatione, atque suggestionem didicimus, te multa per horrendæ temeritatis impudentiam, siue audaciam egisse illicita, & in contemptum beati Ambrosii, atque ipsius antistitis contrarietatem, in locis, & rebus ei pertinentibus mala, & quæcumque poteras enormiter vna cum filiis tuis commisisse aduersa. A quorum scilicet perpetracione assidua, te quasi ouem gregis dominici, multisiam vicibus arguendo, obsecrando, & increpando conuenire, atque remouere curauit, ne antiqui hostis callida persuacione semel deceptum in profundum mortis barathrum lapsum iacere omitteret. Sed quia te sanctæ admonitionis verbis salubribus humili prorsus deuotione non obedire, neque aurem cordis (velut aspidem surdam) inclinare, vel acquiescere nolle aspiciens, post tot correptiones vna cum venerabilium coepiscoporum cœtu a sacrosancti corporis & sanguinis Domini secundum institutionis paternæ censuram, communionem separauit; & ab ecclesiæ Dei societate merito remouit. Et adhuc in eadem sorde iniquitatis fœtidum & vulneratum te dolet iacere, cordeque impœnitenti nolle ad te percutiẽtem reuerti aspiciens, clamat, vt per salutis medicamentum animi tui valeat vulnera male inflicta sanare. Vnde & nos pastorali sollicitudine, atque confratris nostri archiepiscopi hoc præsentis dilectione commoti auctoritatis nostræ statuto iubemus, vt tanta peruersitate, & cordis duritia iam